

**Avgvstini Valerii, Veronensis Episcopi, De Rhetorica  
Ecclesiastica Libri III. Perqvam Ervditi**

**Valiero, Agostino**

**Coloniae, 1582**

Quid sit Homilia. Cap. XLIII.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69050](#)

laudant; laudent ut repræhendat, ut excitent ad gratias agendas, & vt corrigant; quemadmodum fecit B. Paulus scribens ad Corinth. his verbis: Laudo vos, in hoc non laudo: ita nos dicere possumus; laudo vos hereticorum esse inimicos acerrimos, laudo fidei Christianæ synceritatem, quam conseruatis; sed non laudo, quod operibus fidem non confirmetis; quod tanto studio iniurias vlciscamini. Nunquam de prædestinatione loquatur, quin aliqua de libero hominis arbitrio attingat: nunquam de peruersis quorūdam sacerdotum moribus, quin de sacerdotij authoritate prius multa dixerit: nunquam matrimonium ita laudet, vt virginitatem ei non anteponat. Hanc etiam sibi prescribat legem, nè se ipse iactet, aut sua, quod nonnulli faciunt, qui res pulcherrimas, non ante auditas, se dicturos pollicentur; qui recitant se alijs in locis dixisse, & admirationem concitasse; & vt maximi viri habeantur, aliorum catholicorum opiniones confutat. quarè nihil aliud assequitur, quam quod inuidiam, odiumq; hominum incurrit. Caveat, nè in sacerdotes, in ordinem episcoporum, in principes, multo minus in Pont. Max. Christi Vicariorum dicere audeat; nam hoc est seditionis ingenij, & hominis auram popularem aucupantis; quo morbo labrauerunt heretici, qui iurgijs conuicijs sacerdotes insectates, incutas animas decipere studuerunt. sed hoc in primis diligenter caueat, nè sibi ipsi placeat, nè longitudine sermonis, superuacaneis verbis tempus conterat. nam alimenta, quæ non abundant, audiūs sumuntur.

Quid sit Homilia. Cap. XLIII.

**L**O CV S postulat, vt dicamus quid sit Homilia: ea autem est colloquiū eo nomine appellati sunt sermones

nes episcoporum ac sacerdotum ad populum; quia ut in-  
ter patrem & filium, ita inter sacerdotem & populum  
haberi debet sermo: et in illis sermonibus quadam simpli-  
citas, & familiaritas à charitate profecta, debet appa-  
rere. quae familiaritas cognoscitur, cùm sic videtur scri-  
pta homilia, ac si in magna quadam domo, paterfamilias  
ad familiam admonendam assurget; nec iij, à quibus ha-  
beantur, longa vtebantur oratione, cùm mos diuidendi  
sermones in duas aut tres partes, apud veteres, quòd scia-  
mus, non fuerit receptus.

Quòd in dicendo adhibendum sit iudicium.

Cap. XLIIII.

**H**AEC autem omnia, & multo plura, quæ dici pos-  
sent, facile assequetur orator, si iudicium, quod  
condimentum orationis, & actionum omnium humana-  
rum est, in dicendo adhibuerit; & illa verba S. Hierony.  
qui ecclesia fuit doctor grauißimus, in animo suo impres-  
serit, atq; ad se pertinere maximè existimauerit. Doctor  
ille grauißimus, concionatorem quendam laudans, hac  
vitetur laudatione minimè vulgari, sed egregia admo-  
dum: Nec ad instar, inquit, imperiti medici, uno collyrio  
omne vulnus curare, sed per singulas ecclesias, vulneribus  
medetur illatis. Quare iudicij regulas, quas vir sanctitate  
& doctrina eximia insignis tradit S. Antonius Archie-  
piscopus Florentinus, obseruet orator. Diligenter inqui-  
rat mores, et præcipua vitia illius ciuitatis, oppidi, aut lo-  
ci, vbi sermones habiturus est. vt enim inter homines re-  
periuntur alij, qui magis sint proclives ad libidinem, alij  
qui ad auaritiam, quidam qui ad vindictam; ita eiam

que-